

CAPUT II

1 Deinde post annos quatuordecim ascendi rursus Ierosolymam una cum Barnaba, assumpto simul et Tito.

2 Ascendi autem secundum^a revelationem, et contuli cum illis Euangelium
5 quod praedico inter Gentes, privatim vero cum iis qui in pretio erant,¹ ne quo modo in vanum currem, aut cucurrissem.

3 Sed neque Titus qui mecum erat, quum esset Graecus, compulsus fuit circumcidi,

4 Propter subingressos falsos fratres, qui subintroierant ad explorandam
10 libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu: quo nos in servitutem adigerent.

5 Quibus ne ad horam quidem cessimus per subiunctionem, ut veritas Euangelii maneret apud vos.]

182 1 Post annos quatuordecim. Vix possit quispiam pro certo asserere,
15 illamne profectionem intelligat, cuius meminit Lucas ^bActorum cap. 15,2^c. Imo potius in contrariam partem nos ducit historiae contextus. Quater enim Paulum Ierosolymam venisse illic refertur. De primo adventu iam dictum est. Secundus adventus fuit, quum eleemosynas in Graecis et Asiaticis Ecclesiis collectas pertulit cum Barnaba, quem
20 admodum habetur in fine duodecimi capituli.² De quo ut potius intelligam praesentem locum, plures rationes me movent. Nam alioqui necesse foret ab alterutro falsum referri. Deinde magis inclinatur coniectura Petrum Antiochiae fuisse reprehensum, quo tempore illic morabatur Paulus. Id autem erat, antequam mitteretur Ierosolymam ab
25 Ecclesiis ad transigendam disceptationem de caeremoniis ortam. Ad haec non est rationi consentaneum tali simulatione usurum fuisse Petrum, si definita fuisset illa controversia publicatumque Apostolorum decretum. Hic autem Paulus scribit se venisse Ierosolymam, et postea subiungit correptam fuisse abs se Petri simulationem. Qua certe
30 nunquam usus fuisset nisi in rebus dubiis. Praeterea vix unquam attigisset iter illud susceptum communi fidelium consensu praeterita

a AB iuxta b-c AB decimo quinto capite Actorum

1 Erasmus: qui erant in pretio; ausführliche Annotatio zu dieser Übersetzung (LB VI,805 f.); Stephanus (1541) mg: vel, esse in pretio 2 Act 12,25

causa et exitu tam memorabili suppresso. Ac ne satis quidem constat, quo tempore scripta fuerit Epistola, nisi quod Graeci missam Roma divinant,³ Latini Epheso.⁴ Ego autem non tantum scriptam ante fuisse arbitror, quam Paulus Romam vidisset, verum antequam habita fuisset illa consultatio et de caeremoniarum usu pronuntiassent Apostoli.
5 Nam quum adversarii falso praetexerent Apostolorum nomen eoque maxime niterentur ad gravandum Paulum, quantae negligentiae fuisset praetermittere decretum passim divulgatum apud omnes, quo illi confodiebantur? Certe una haec vox illis os obstruebat: Vos mihi Apostolos obiicitis. Atqui norunt omnes, quid iudicaverint. Proinde
10 impudentis mendacii vos convictos teneo. Necessitatem servandae Legis, quasi eorum mandato, imponitis Gentibus. Atqui eorum extat rescriptum, quo conscientias inde liberant. Huc accedit, quod initio corripiebat Galatas, quod tam cito ab Euangelio sibi tradito defece-
15 rant.⁵ Colligere autem promptum est, ex quo adducti erant ad Euangelium, aliquantum intercessisse temporis, antequam certamen illud de caeremoniis fuerit motum. Porro quatuordecim annos accipio, non ab una profectione ad alteram, verum ut supputatio semper a Pauli conversione incipiat. Ita undecim anni inter duos ascensus inter-
20 fuerunt.

2 Ascendi autem secundum^d revelationem. Hic iam non operibus tantum, sed divino etiam oraculo Apostolatam suam et doctrinam comprobatur. Nam quum iter illud Deus gubernaret, cuius causa erat doctrinae eius confirmatio, iam non consensu hominum duntaxat, sed
183 Dei etiam auctoritate confirmatur. Quod ad frangendam eorum per-
25 vicaciam, qui Paulum gravabant obiectis Apostolorum nominibus, satis superque valere debebat. Nam etsi antea litigandi fuisset aliqua ratio, tunc omnis disceptatio interposita Dei sententia cessavit.^f

Contuli cum illis. Primo notandum est verbum conferendi: Non enim praescribunt illi, quid debeat docere, sed quid docuerit refert, ut
30 subscribant illi suumque calculum addant. Quia autem calumniari

d AB iuxta e-f AB om

3 Hypothesis bei Erasmus (LB VI,799/800): Ταύτην ἐπιστέλλει ἀπὸ Ῥώμης; Stephanus (1546), 133, Stephanus (1550), 74: Πρὸς Γαλάτας ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης.

4 Biblia cum glosa, Argumentum in ep. ad Gal (VI, fol. 78v), Stephanus (1541), fol. 55v: . . scribens eis ab Epheso 5 Gal 1,6